

singularem dei sapientiam, quae animo Camerarii
 iusserit, non tam inferi, quam innasci, tantum Li-
 psiae amorem, quo eum nostis, Carolouicii maxime,
 summi viri, auctoritate, et consilio diuini Melan-
 thonis, a Mauritio principe, Henrici patris succes-
 fore, Tubinga arcessitum venisse, vt mallet hic ae-
 tatem agere liber in paupertate, sed in litteris cum
 dignitate, quam in patria opibus honoribusque au-
 geri assentator principum blandus cum dedecore.
 Nam profecto admodum suaue est et vehementer iu-
 cundum, profiteri litteras in ea schola, in qua non
 tam excipi, quam hauriri, appareat praecepta au-
 dissimis omnium auribus, memoriaeque septis dili-
 genter contineri fideliterque custodiri; in qua ratio
 disciplinae omnis bene constituta et temperata cerna-
 tur; in qua labores tui et studia amore, fide, con-
 silio, etiam opera, aliorum adiuuentur subleuentur-
 que. At in eam venire urbem, in qua disciplina
 lapsa iaceat propemodumque extincta; in qua do-
 ctiores litterarum plerique ipsi humanitatem elegan-
 tiamque omnem oderint et reiiciant, barbariei mon-
 strum amplexentur et ament, etiam potentia flo-
 reant; stultitiae enim, praesertim vernaculae, ob-
 scuritas sterilis solet fere plures inuenire sectatores,
 quam sapientiae splendor fecundus; in qua omnes
 anguli pleni conspiciantur suspicionum, insidiarum,
 inuidiae, simulationis, odii, fraudis, contumaciae,
 malitiae: et tamen omnes difficultates, impedimenta
 omnia, tollere et superare, contemtisque ac spretis
 omnium odiis et inimicitiis, bellum indicere barba-
 riei et inferre, opesque eius frangere et euertere
 funditus: hoc vero inusitatae cuiusdam sapientiae
 debet inauditaeque fortitudinis duci. Quarum vir-
 tutum

tutum